

Eliae Bertrandi [...] observationes, quibus [...] lac. Elsneri dissertatio apologetica de stella solis magis visibili modesto examini subiicitur [...]

Autor(en): **Bertand, Elie**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1751)**

Heft 21

PDF erstellt am: **05.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394693>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

ELIÆ BERTRANDI

Eccles. Gallic. Bernensis Pastoris

OBSERVATIONES,

quibus

plurimum Reverendi atque Celeberrimi

JAC. ELSNERI

Disfertatio Apologetica

de

Stella solis Magis visibili

modesto Examini subjicitur, atque Viri Celeberrimi J. G. ALTMANNI Sententia novis stabilitur rationibus.

§. I.

ENata est haud ita pridem inter Viros Celeberrimos ELSNERUM atque ALTMANNUM Controversia literaria *de Stella Magorum Duce*. Scripserat plurimum Reverendus *Elsnerus* eruditam Commentationem *de Stella Magis visa*, quam Venerandus ac Doctissimus IKENIUS in Symbolis literariis, [Tom. I. part. II. pag. 42.] exhibuit, in qua novam de hoc lumine sententiam proponit; cujus quidem hæc sunt verba [§. III.]: *Lumen illud cœleste a solis Magis conspectum esse existimo, divina ἀποκαλύψει fruuentibus, atque adeo non fuisse stellam aliquam in Cælo*
Terra-

Terrarum orbi expositam, aut phænomenon oculis quibuscunque patens, sed lumen solis Magis conspicuum, SIVE ILLUD EXTRA ILLOS CONSTITUTUM, SIVE IN MENTE DUNTAXAT ET IMAGINATIONE DEPICTUM, & representatum fuerit. Novam hanc sententiam Vir admodum Reverendus multis stabilire rationibus in illa Commentatione allaboravit. Evulgavit vero Celeb. Altmannus in *Museo Helvetico*, [Tom. III. Part. IX. pag. 53.] Exercitationem Philologico-Criticam *de Stella Magorum Duce*, qua diversas de hac cœlesti luce sententias distincte expositas accuratiori examini subjecit: Cum autem Rev. Elsneri sententia minus ipsi arrideret, rationes attulit, quibus moveretur, cur eam, utpote minus probabilem, non reciperet. Verum hæc Cl. Elsnerum induxerunt, ut Disertatione Apologetica novam explicationem ab objectionibus Cl. Altmanni sibi vindicandam censeret, & cui etiam in *Museo Helvetico* [Tom. V. Part. XVII. pag. 71.] locus datus est; In qua ipse, vel anonymus Defensor, amplioribus, quantum quidem potuit, rationibus, opinionem asseruit in Symbolis litterariis propositam. Ego vero a Cel. Altmanno cum intellexissem eum hac Disertatione Apologetica nullatenus adductum esse, ut a concepta primitus mente desisteret; cumque partis negativæ argumenta mihi talia esse videantur, ut Rev. Elsneri interpretatio nondum ab omni difficultatis gravi pondere sit liberata, nemo mihi, quantum confido, vitio vertet, si Cel. Altmanni, multæ eruditionis viri mihiq; conjunctissimi, vestigia premens, sententiam dehinc defendam. Verum fateor dignum profecto invenisse propugnatorem doctissimum Elsnerum,

nec

nec facile sibi parem reperturum esse vindicem acutissimum Altmannum.

II.

Antequam ad rem ipsam accedamus, dicam quod videtur, viros hos doctissimos, atque in Orbe litterato, editis doctrinæ & ingenii monumentis, celeberrimos, meisque laudibus superiores, Rempublicam eruditam magno alligasse docta hac Disquisitione beneficio, quod hanc quæstionem, quæ hæcenus multis cincta erat difficultatibus, ad majorem claritatem voluerint perducere; nec ingratum erit summe Reverendo Elsnero Celeb. Altmannum dubia quædam movisse contra novam sententiam, cum in Republica litteraria opiniones, & illæ præsertim, quæ nec sanctissimam religionem, nec æternam salutem tangunt, sint omnino liberæ. Hanc ideo viri vere docti veniam dant, petuntque vicissim, ut liceat in ejusmodi rebus, salva amicitia, dissentire: Hinc sane certus spero Venerand. Elsnerum, qua est pietate, & in examinandis aliorum opinionibus humanitate, justæ defensionis locum daturum, veniamque nobis concessurum, ad eam sententiam defendendam, quæ nobis tutior esse videtur. Liceat ergo nobis eadem cum Cl. Elsnero, aut ejus Propugnatore, formula uti, quam perhibuit Disertationis Apologeticæ Art. II. *Ut autem argumenta cum argumentis, sententiam cum sententia contulerimus, facile exinde apparebit, quæ sententia majorem probabilitatis speciem, veritatemque secum ferat.* Fiet autem hoc, ea qua par est inter homines, qui bonis litteris nomen dederunt modestia: Exosi enim sunt apud omnes, qui veram cum pietate

tate religionem colunt, & humanitatem amant, omnes illi, qui in controversiis, vel Theologicis, vel litterariis ita excandescunt, ut seposita, quæ honestos decet, morum probitate, dictis illos insectantur, cum quibus rem habent: ac si dictis acerbis, vel aculeatis argumentis sententiæ suæ pondus aliquod afferre valerent: Sunt quippe tales non Musarum, & humaniorum litterarum, quæ mores emolliunt, Candidati, sed Reipublicæ litterariæ Lixæ & Calones.

III.

Ut autem hæc controversia a Celeberrimorum Virorum biga in publicam eruditorum scenam producta, eo quo convenit modo exhibeatur, mihi in antecessum dicendum videtur, non ex omni parte determinatam esse Elsneri sententiam; nec hactenus circa hoc Lumen cœleste Magis concessum mentem suam ita declaravit, ut certo cognosci possit utrum ipsi probabilius esse videatur dicere: *solos Magos illam stellam revera vidisse, & præter eos neminem*; an vero sit magis verisimile asserere: *eos in mente duntaxat & imaginatione depictam stellam habuisse, quæ autem revera non exstiterit*. Utrumque ideo est examinandum, cum duplici propositione vel hypothese Viri Clarissimi constet asertum, anceps, atque dubium. Verum priusquam illud examen instituamus observandum est, Virum summe Venerandum utramque hypothese ex PEYRERII libello de Præadamitis desumpsisse, quod sane quidem silentio præterire voluissem, si rei momentum, & causæ meritum permisissent: Et ne quis de hac re dubitet, citabimus editionem, quæ suppresso nomine loci prodit

diit A. 1655. Sic ille [pag. 208.] *Accedat huc stella illa, quæ Magis apparuit in nativitate Domini, quamque vulgare & tralatitium est Cælo inter alias posuisse, quod nusquam fuisse, & nusquam fieri potuisse vincitur his argumentis. Vidissent nempe illam in Cælo cæteri homines præter Magos. Vidisset illam inter primos Herodes, turbatus hoc nuntio, quem scilicet expressius phenomenon hoc petere videbatur. Atque neque videbat, neque videbat illam Herodes; clam enim, vocatis Magis, ait Evangelista, exquisivit ab iis, quo tempore stella apparuisset. Patet ergo stellam illam neque fuisse in Cælo, neque in conspectu omnium positam, ut vulgo existimatur, sed τῆτον ἀστέρα, ignem illum, particulariter tantum Magis illuxisse, quo duce Bethlebemam devenirent, quemque præeuntem Magi sequerentur, ut adoratum irent Regem Judæorum, neque Herodi, neque cæteris apparuisse. Pergit vero Peyrerius [pag. 209. sub finem] ita scribens. Tum si stella illa, cælo inter cæteras fuisset affixa, præiisset ut Magis, ita & cæteris hominibus, facientibus iter ab Oriente in Occidentem, quod non scriptum est, imo tantum præiisse Magis: Cucurrisset porro illa ad numeros & cursus aliarum stellarum, quæ ferebantur juxta tropicum ab ortu ad occasum: At quis potuisset sequi tanta celeritate præeuntem? Si demum stella hæc fuisset in conspectu hominum posita MEMINISSENT EJUS HISTORICI CELEBERRIMI QUI MEMORANDA SECULI ET TEMPORIS ILLIUS NOTAVERUNT, QUOD NULLUS TAMEN FECIT. Seculum ergo integrum effluxit ex quo hoc de stella Magorum inventum a Peyrerio Orbi litterato fuit publice propositum: Sed etiam ab illo tempore universaliter rejectum, si forte eruditissimum CALMETUM excipias.*

IV.

His præmissis dispiciamus nunc, an lumen illud, de quo mentio habetur sub nomine stellæ, revera extra Magos extiterit; an vero in mente eorum duntaxat depictum, repræsentatumve fuerit, nullam extra eorum phantasiam habens existentiam; quod asertum posterius sibi magis placere satis superque innuit Elsneri Defensor. Si autem illud verum sit tota illico cadit controversia. Enimvero si stella illa fuerit visum imaginationi Magorum oblatum, certum est nemini conspicuum esse potuisse, nisi illis quibus eodem modo divinitus datum fuerit. Ita Angelorum agmina vidit Elizeus, quæ puer ejus contemplari non potuit, donec ejus imaginatio Dei actu fuerat affecta. Ita porro Esajæ Vati datum fuit, sedentem in sublimi, editoque solio Jehovaham videre, astantesque Seraphos. Virum quoque, seu hominis formam solus videbat Daniel, non vero qui cum eo aderant; quoniam hæc omnia visa a Deo per miraculum concessa ab illis solis quibus divinitus dabatur videri poterant. His ita positis, si in visione tantum hanc videre lucem sibi visi sunt Magi, non inquirendum venit, an lux illa ab aliis etiam fuerit conspecta; lux, inquam, quæ nusquam extiterit, nisi in imaginatione Magorum: Verum illud potius tum disquirendum erit, an ita Interpreti liceat rem corpoream, tanquam vere ac realiter existentem in mundo corporeo extra Magos ab Evangelista in narratione simplicissima propositam, commutare, atque convertere, eamque sic describere ut idealem & phantasticam solum existentiam, sola mentis acie percipiendam habeat?

V.

V.

Dicam autem quod sentio, periculosa mihi videtur illa Peyreriana methodus. Quid enim erit statuendum de plurimis vel factis, vel miraculis, in sacra Historia descriptis, si valet talis explicatio, viros sanctos, aliosve putasse se videre diversa, quæ neutiquam viderint, cum in imaginatione sua tantum tale quid habuerint depictum. Placuit autem Viro Cel. hæc iterum quasi post liminio ad lucem revocare, & sua, qua pollet in Orbe erudito, auctoritate munire. Si phantastica duntaxat extiterit stella, & in cerebro Magorum solummodo delineata, quo pacto, & qua ratione, eos ducere, iis viam monstrare hominibusque in aliquem locum contendentibus præire, potuerit, lubens fateor me nequaquam concipere. Ignis columnam habebant Israëlitaë, eos per deserta ducentem, quam sequebantur, quia eam videbant præcedentem: Verùm eodem jure, iisdemque rationibus ductus, cum Peirerio, vel Elsnero, quivis dicere posset credidisse sane Israëlitas se videre columnam ignis præeuntem, quæ vero nusquam fuerit. Hoc loco ego quidem Lectorem solidum atque ingenuum, nulla auctoritate, vel partium studio ductum, Testem ac Arbitrum exoro in hac prima controversia, quænam præferri debeat sententia, an plurimum Venerandi Elsheri an verò Celeberrimi Altmanni. Illa pictas statuit in cerebro species, imaginesve; hæc ad litteram Scriptoris sacri rem modo simplici ac planissimo narratam explicat. Cl. Professor Bernensis statuit, quod sana docet ratio, vidisse Magos cœlestem facem; & cum ipsissimis verbis ait sacer Historicus eos illam vidisse, haud dubie

dubie noluit indigitare eos putasse se videre quod nusquam erat, quodque extra eorum cerebrum nullam habebat realem existentiam. Judicet, rogo, Lector, quænam sententia Spiritui Sancto, calamum Scriptoris Evangelici dirigenti, magis sit conveniens; atque ad hoc certe nec Elsnerus, vel quisquis est Scripti Apologetici Auctor satis attendit. Quare verò Deo placuerit face cœlesti Magos Bethlehemum deducere explanavit Altmannus, præclaræ eruditionis Vir, in Observationibus ad Matthæum ad hunc locum, quas exscribere nolumus. Si ergo omnia pensitemus, plurima sunt quæ huic hypothesei obicem ponunt; Magi viderunt stellam orientem, at secundum Peyrerium, aut Elsnerum, putarunt tantum se videre: Secundum Matthæum præcessit hæc stella ex oriente Hierosolymam usque; verum secundum Peyrerium stella nusquam erat, sed picta in cerebro imagine etiam vigilantes deludebantur. Disparuit cum Hierosolymam accederent. Sed cui bono? Enimvero stellam intra crania conclusam vidisset sane nemo. Comparuit iterum Hierosolyma exeuntibus, reformata haud dubie in melius vi imaginationis face, quam sibi de novo videre putabant. At roget iterum quis, an omnes Magi, an unus tantum autumaverit se videre stellam? De hac re Judex erit Peyrerius, & qui ejus sequuntur opinionem. Denique incommoda, quibus laborabat communis opinio, de reali luce amolitur omnia Cel. Altmannus simpliciori hypothesei; cum autem incommoda illa adduxerint Ven. Elsnerum ad tollendam illius lucis existentiam realem, nunc ad ejus opinionem stabiliendum minime inservire possunt.

VI.

His itaque, & aliis ducti rationibus, realem esse tribuendam existentiam faci, quæ stellæ nomine insignitur, censemus: Atque hoc assero, hæc nunc erit disputanda quæstio Altmannum inter & Elsnerum; An in hac hypothese de lumine reali a Magis sensibus percepto, probabilius sit lumen illud omnibus obviis, atque præsentibus, conspicuum fuisse, vel solis duntaxat Magis? En igitur statum quæstionis numquam prætermittendum. PEYRERII asserum jam examinaverat doctissimus CALMETUS disertatione de Magis, quam præposuit Commentariorum in sacram Scripturam Tomo VII. (pag. 119.) Vix ego concipere possum quomodo Elsnerus, vir ingenio, Doctrina atque eruditione insignis, huic Peyrerianæ opinioni, nullum nempe mortalium præter Magos Facem vidisse, tam facile accedere potuerit. Hoc itaque supponendum, Virum doctissimum non satis attendisse ad omnes difficultates in hypothese occurrentes, atque splendidum ipsi visum esse illud argumentum quod Historicorum monumenta ejus mentionem facturi fuissent, & quæ sunt alia, quæ huic sententiæ aliquod patrocinium largiri videntur. A difficultatibus ordiemur, & argumenta dein examinabimus. Prima & palmaria difficultas quæ se huic sententiæ opponit, hæc est, quod plus quam decem millia miracula statuenda sint, si quis hujus hypotheseos defensionem velit suscipere; ponendum quod insigni miraculo Deus aciem omnium hominum inde ex eo loco, ex quo egressi fuere Magi, hebetaverit usque Bethlehemum: Sed quem in finem tot opus erat miraculis, quæ absque necessitate numquam sunt

sunt fingenda, nec Deus summe sapiens præter necessitatem hominibus ea exhibet? Adsunt autem alia quæ rem modo planissimo explicant si asseramus, quod jam statuit Altmannus in sua disertatione. [Mus. Helvet. Tom. III. pag. 65.] Ait quippe, *dicimus stellam illam fuisse nihil aliud quam facem aut lumen aliquod in parte inferiori Atmosphæræ Magis visum.* Dum idcirco hoc asserit Altmannus, non dicit quod hæc sax tantæ fuerit magnitudinis ut longe lateque omnium hominum oculos ferierit; sufficiebat ad viam Magis ostendendam exiguus ignis in aère conspicuus, ad quem alii homines non facile attendebant; cum levis facula stellæ formam gerens sufficiens esse potuerit ad Magos Hierosolyman, atque exinde Bethlehemum deducendos.

VII.

Rationes porro perpendamus Cel. Elsneri denuo ab ejus Defensore allatas, quibus probare satagit lumen Magis tantum fuisse conspicuum; Sed quam præprimis urgent ex Peyrerio certe mutuatam sumserunt, qui Exercitat. de Præadamitis [pag. 210.] ita scribit, *si demum stella hæc fuisset in conspectu hominum posita, meminissent ejus Historici celeberrimi, qui memoranda Seculi & temporis illius notarunt, quod autem nullus fecit.* Eodem modo Rev. Elsnerus, *si hæc lux etiam aliis hominibus conspecta fuisset, tantam exinde per totum orientem famam orituram fuisse, ut Historicorum annalibus atque monumentis haud dubie commendanda fuisset.* Nec aliter Calmetus disertatione jam laudata [pag. 58.] *Si cet. Astre eut été veu de tout le monde dans la Judée comment Hérode eut-il demandé avec tant d'inquiétude depuis quel tems l'Etoile s'étoit manifestée?* Has

igitur viri docti observationes mutuarunt a Peyre-
rio: Facile autem ad illas respondetur; quod ex
veterum Scriptorum silentio nullum peti possit
argumentum, & quidem ob plures rationes. Sæ-
pius enim res maximæ a Scriptoribus silentio fue-
re prætermiffæ, aliæ vero leviores notatæ. Ex-
emplo esse potest infanticidium Bethlehemiticum a
Josepho, Scriptore domestico, omiffum, ita ut
illud a revelationis hostibus instar anilis fabellæ fuisset
habitum, nisi ejus memoriam nobis MACROBIUS
conservasset. *Si illius ævi Scriptores in consignandis
phenomenis aliisque prodigiis satis fuerunt accurati, ut
asserit Elsneri Defensor, quare miraculorum Chri-
sti publice & sæpius editorum memoriam pauci
& leviter consignarunt? quare siluerunt de por-
tentis quæ passionis Servatoris tempore contige-
runt? de terræ motu, rupibus fissis, atque sole
obscurato per trihorium integrum: Locus enim
CHALCIDII ex suo in Timæum Platonis Com-
mentario, quod stellæ huic applicatur magni pon-
deris habetur a pluribus, ut CALMETO & Ab-
bate HOUTEVILLEO; sed quæ esset auctoritas
Scriptoris, cujus ætas omnino ignoratur? Ad il-
lius stellæ apparitionem referri nequaquam posse
censemus quod PLINIUS ait de Cometa specie hu-
mana Dei effigiem in se ostendente. (Histor. Natural.
Lib. II. Cap. V.) Sed non minorem profecto in-
currere debuit admirationem illud quod Christo
moriente accidit portentum sole obtenebrato,
nec illius extensio minor, cum ἐφ' ὄλην τὴν γῆν,
referente Evangelista MARCO, quod profecto ad
solam urbem Hierosolymam, ut voluit ORIGE-
NES, restringi nequit, sed ad integram Palesti-
nam. Illius ergo portenti Scriptores istius ævi satis
accurati*

accurati mentionem facere debuissent, & ex eo quod non fecerint hinc minime consequitur, illud ostentum visum tantum fuisse ab iis, quibus videre divinitus & per miraculum datum est. Enimvero quæ ad hanc rem referuntur testimonia DI-ONYSII, quem vocant, Areopagytæ, vel PHLE-GONTIS Tralliani, vel THALLI merito sunt sus-pecta, licet magni facere ea videantur Abbas HOU-TEVILLEUS, & CALMETUS, ille in Religione ex factis demonstrata, hic in disertatione erudita de his tenebris: De Eclypsi enim loquuntur, quæ in plenilunio observari nequit. Ut autem probet G. J. VOSSIUS hancce obscurationem Eclypsi attribui non posse, hæc utitur ratione, *se- tam miraculosa Eclypsis variis conspecta terris foret non solus ejus Phlegon meminisset: Quid enim in natura magis stupendum quam Solem deficere in plenilunio?* (Harmon. Evangel. Lib. II. Cap. X. pag. 321.) Eadem itaque utrinque difficultas, eadem etiam solvendi methodus esse debet: Non inferendo mi- raculum in mente quorundam peragi; sed con- cipiendo illud modo simplicissimo, ponendo ob- scurationem non fuisse Eclypsim, verum obscu- rationem, vel nubis interpositione, vel maculæ in sole obductione; quemadmodum de stella solis justitiæ prænuntia dicit Altmannus fuisse facem talis magnitudinis, ut a Magis attentis atque mo- nitis observari posset. Notum est TERTULLIA- NUM & LUCIANUM Martyrem, Senatam Po- pulumque Romanum ablegare ad suos Annales at- que arcana de obscuratione testimonium perhi- bentia, quæ vero non amplius extant. Magnam quoque Scriptorum illius ævi copiam nobis tem- poris iniquitas abstulit, ut hoc omnibus ad pri-

ma litterarum primordia progressis est notissimum; Nihil ergo ex silentio inferri potest. Sed insuper notandum est, quod tota hæc obiectio evanescat, quamprimum Cel. Altmanni adoptatur sententia: Si enim dicamus illam stellam facem, vel lucem tantum fuisse, quæ major non fuerit, quam ut Magis, eam sequentibus, viam monstrare potuerit, nihil amplius erit, quod opponatur, & licet ponatur illam stellam a quibusdam hominibus fuisse visam, quid inde? certe nihil, cum facile tales finxissent esse phænomenon aliquod naturale, in aëre conspicuum, quod ubique terrarum non rarum est. Atque ex his jam facile constat, quod Peyrerii & Elsneri rationes, tam validæ non sint, ut ea quæ a doctissimo Altmanno in hanc rem fuerunt allata convellere, aut subvertere possent. Præterea nec omnino siluisse dicendum est Veteres de hoc Portento, cum IGNATIUS, referente jam Altmanno, de illa luce verba faciens ait: καὶ ξενισμὸν παρῆχεν ἡ καινότης αὐτῆς. stupuerunt ergo omnes qui facem illam accensam viderunt rei insolitæ admiratione perculsi, paucos vero animadvertisse est valde probabile, cum illa fax magna non fuerit.

VIII.

Pergit jam dissertationis Apologeticæ auctor probaturus, quod hanc stellam præter Magos nemo viderit, cum ait (§. VI. pag. 75.) *Viri divino numine agitati varia sæpius conspiciebant quæ aliorum oculos subterfugiebant: Hinc Videntes appellantur: Ita Elizaus Vates Angelorum agmina conspiciebat, præsentis puero non conspecta, donec illi etiam Deus oculos aperuisset: 2. Reg. VI: 17. Ita Esajas gloriam Jehovahæ Cap. VI. &c. soli viderunt. Hæc quidem esse verissi-*

verissima, utraque manu damus, sed omnia hæc certe ad probandum *Elsneri* sententiam plane nihil conducunt. Nec dubito quin ipse, quo est acumine, sentiat horum argumentorum tenuitatem, cum per se quilibet statim videat, quod divinæ visiones propheticæ, quæ aut vigilantibus, aut dormientibus contingere, cum apparitione reali stellæ Magorum nec debeant, nec possint confundi. Illæ enim a Deo datæ erant Prophetis ut rerum futurarum exhiberent imagines, quibus Deus Servis suis modo typico, vel emblematico aliquid insigniebat, quo ad rerum absconditarum mysteria, & fatorum futurorum cognitionem deducerentur: Stellæ vero usus erat, ut via recta ad recentem natum Judæorum Regem deducerentur Magi. Hanc autem & comitem in itinere præcedentem habebant & certum illis erat divinitutaminis testimonium: Quemadmodum Persæ exercitui ignem, quem, teste CURTIO, sacrum & æternum credebant, argenteis præferebant altaribus, ut hoc modo solem, quem hac imagine venerabantur, secum habere viderentur: ita Deus hos Magos face cœlesti ad verum justitiæ solem deducere; & ab exitiali superstitione, qua hæctenus premebantur, liberare voluit; atque ex his jam satis patet quam infeliciter *Elsneri* Defensor ex visionibus Prophetarum argumentum petat ad probandum, quod soli Magi illam facem cœlestem viderint.

IX.

Ulterius procedit Scripti Apologetici Auctor, cum argumentum nectit ex eo, quod Christus infans modo natus gloria sua etiam solis Pastoribus Bethlehemiticis visus fuerit, quod transfiguratus

in monte nonnisi a Petro, Joanne & Jacobo fuerit conspectus, & ex mortuis suscitatus nonnisi Discipulis suis comparuerit. Mirum certe virum doctum talibus uti argumentis, quibus ad suam hypothese[m] probandum plane nihil efficit. Nam si solis Pastoribus Bethlehemiticis visum est lumen nocturnum, quod LIGTFOOTIUS idem fuisse autumat ac lux Magis in Oriente visa, non inde arcessendum, quod reliqui homines, si qui ibi adfuissent, gloriam illam visuri non fuissent: Verum ratio hæc est, quia alii homines ibi præter Pastores nulli erant; illi quippe gregem suum nocte custodiebant. Alterum ex transfiguratione Christi argumentum petitum non majoris est ponderis. Transfigurationem illam nemo vidit quam soli discipuli; & pueri norunt ex Scriptis Evangelicis quod hoc ideo aliter fieri non potuerit, quia in monte, loco a consortio hominum remoto, nemo erat, quam Christus cum tribus viris, quos secum assumserat, ut saltem sufficientem transfigurationis suæ testium haberet numerum, cujus deberent meminisse eo maxime tempore, quo Servatorem Orbis cruci affixum contemplarentur tristes & mente commoti, indeque certam conciperent fidem ad gloriam ac honorem Dominum resuscitandum esse. Quæ vero vir doctus de Christo redivivo affert hoc loco proferri neutiquam deberent: Viderunt enim omnes, quibus prope, vel præsens adfuit Christus, cum renuntiatus esset; Viderunt eum Vigiles atque Custodes, ad sepulchrum observandum, custodiendumve constituti; viderunt eum Discipuli omnes, imo ingens ille quingentorum numerus de quo Paulus 1. Cor. XV: 16. Cum

Ste.

Stephano fuerit visus lapidando, ad visiones referendum est, ut hoc pacto moriens in acerbissimis doloribus futuræ gloriæ certus redderetur: Nec non cum a Paulo convertendo Damascum petente videretur in visionibus etiam extraordinariis ponendum; atque palmaria ratio hæc erat, ut asserere posset, se non minus ac reliquos Apostolos, Christum vidisse, quoniam erat ex principibus requisitis Apostolorum Christum in carne vidisse. Ex his jam liquide colligimus, quod Scripti Apologetici Auctor maximopere peccet, cum asserit, quod stella Magorum ad visiones Vatum sacrorum sit referenda. Alias namque dicendum etiam esset quod Columna nubis, & ignis, quæ populum Israelitarum per desertum deduxit, etiam inter visiones Propheticas recensenda sit. Sed hæc quæ jam brevissime supra fuere dicta non omnem scrupulum & difficultatem in sententia Elsneri latentem absolvunt. Quorsum enim res sacra deduceretur? Phænomenon illud luminosum, quo Dies, Josuæ temporibus, ad victoriam perficiendam, fuit protractus, ad visionem quoque erit referendum. Atque si hæc stare ratio, nonne dicendum foret, Mosem in visione vidisse rubum ardentem, Abrahamum Angelos ad se missos, ut & Jacobum similiter, & quæ sunt plurima alia divinæ præsentia in Sacra Scriptura testimonia, quorum existentia atque certitudo everteretur, si ad tales hypotheses decurrere licitum esset.

X.

Pergit vir doctissimus articulo IX. suæ Apologiae (pag. 76.) atque examini subjicit argumenta Cl. Altmanni quibus vitia rationum Elsnerianarum

emendare tentaverat. Sed, pace viri acutissimi dictum sit, satis infelicitur. Primo quidem id agit, ut probet argumentum a silentio Scriptorum de hac stella ne *γδ* quidem loquentium esse validum: Sed ad hoc jam supra ea sunt tradita, quæ responsionis loco inservire possunt. Secundum doctissimi Altmanni argumentum ita se habet; *Non sequitur quod si fax, vel ignis quidam Magis in contemplatione Astrorum occupatis comparuit, quod inde plurimi homines eodem tempore illum fulgorem viderint, vel si vidissent, sed ejus significationem ignorassent, se via dederint, visuri quo eos stella deduceret.* Ego autem quemvis ingenuum Lectorem rogo, ut absque partium studio judicet, an hæc Altmanni verba non ita sint lucida & simplicia, ut unusquisque de eorum veritate possit judicare? Ea tamen Scriptor Dissertationis Apologeticæ ita detorquet, & in alium sensum deducit, ut tandem Altmanno plurima affingat, quæ a verborum sensu quam maxime sunt aliena: asserere sustinet Altmannum fingere 1. stellam comparuisse in cælo patentissimo præfulgidam, quod verum non est: Quinimo primaria est ipsius Auctoris Apologetici hallucinatio, quod si existens ponatur fax cuicumque obvio atque attento conspicua, illico supponat, atque inferat, lumen illud esse debuisse amplissimum, & toti terrarum orbi patentissimum, undiquaque conspicuum sic ut sol in meridie, luna in plenilunio, vel de nocte stella fixa primi ordinis supra horizontem, quod, & a mente, & a verbis Celeb. Altmanni alienissimum est. Ex hac tamen suppositione falsa vim suam mutuatur Scriptoris Apologetici ratiocinia, ut videre est §. IX. X. XVII. 2. Dicit Altmannum
 fin-

fingere, homines tantam facem videntes curiosos minime fuisse ad ejus significationem investigandam: Sed an hæc fictio lateat sub verbis Altmani modo citatis Lector æquus iterum judex erit. 3. Docet, quod Altmanni mens sit, quod homines in omnibus illis locis, per quæ Magis demigrandum fuerat, hujusce portenti etiam fuerint incurii, quod quidem probabile non fit. Eheu! quanta fictionum farrago, quam vir doctus absque ullo prorsus fundamento, meo quidem iudicio, Altmanno tribuit. Hoc autem certe faciendum erat, ut ex iis imputatis ad absurdum deduceretur Altmannus. Dicendum ideo, quod quilibet per se videt, omnes illas fictiones Elsneri Defensori esse adscribendas: Nunquam enim ea mens erat Altmanni illam stellam statuere, ut ingentem in cælo fulgorem longe lateque spargentem, sed lumen modicum in inferiori atmospheræ parte conspicuum, cujus altitudo non sexaginta cubitos superaverit, ut hoc ipse Apologiæ Scriptor repetit (pag. 81. §. XIV.).

XI.

Eodem pede pergit vir doctus, imputat videlicet (§. XI.) eruditissimo Altmanno, eum in sententiam Elsnerianam tandem delapsum fuisse, *cum ad tales angustias fuerit redactus, ut suam amplius defendere non potuerit.* En profecto rem miram! Quid ergo Apologia adversus Altmannum opus erat, si ad castra Elsneriana transiit victus? Hoc tantum asserit Altmannus, (sibi semper constans, & sufficienti acumine præditus, ut tales contradictiones, quas temere ipsi Vir doctus imputat vitare facile potuerit), *sibi incertum esse, an stella Magis dormien-*
tibus

ibus aut in aliquo loco consistentibus fuerit conspecta. Noluit ergo de re incerta definire. An ex his ideo, aliquo jure, concluditur, Altmannum fateri se cum Adversario statuere stellæ imaginem in solis mentibus Magorum depictam extitisse? Noluit vir sapiens fictionibus locum dare, ne cum Elsnero vel vana, vel incerta, & opinionem pro veritate vendere videretur. Ex eo quod *quasi filo ariadneo* ductos repræsentet Magos Altmannus, hinc etiam inferre voluit eum sibi contradixisse, illumque asseruisse, stellam nunquam, ne quidem dormientibus Magis, subductam aut occultatam fuisse. Continua luce equidem continuam designavit viam; lucebat idcirco quantum & quando necessarium ducebat Deus qui illam accenderat: Neque heic ullam reperio repugnantiam.

XII.

Neque omittenda est objectio, quæ contra Altmannum jam articulo suæ Apologiæ V. movebatur a viro docto, nempe *frustra hanc stellam ceteris moralibus ipsius significationem ignorantibus fuisse conspectam*, unde conficitur a solis visam fuisse Magis. Romani ergo milites; simile quippe est ratiocinium; ipsique Judæi præfracte increduli, atque occæcati solis obsurationem, tempore passionis Christi, videre non debuerant, quoniam illius miraculi significationem ignorabant, deducendam nempe ex defectu Solis justitiæ, vel morte infantis Sospitatoris. Absque etiam ratione supponitur frustra apparuisse ceteris hominibus hanc facem; ita quippe excitabatur omnium curiositas, & deduci poterant ad Christum; ut ipsi illi qui moriente Christo viderunt miracula conspicua, excla-

exclamarunt, vere hic erat vir probus, imo Dei filius, alii pectora feriebant: Adde quod, qui hoc portentum, & cetera, incuriosi sunt contemplati ἀναπολόγητοι fuerunt, sicut illi omnes, qui Christi miracula viderunt, & eum tamen rejecerunt.

XIII.

Mirari etiam satis non possumus, si ut res nobis videtur candide dicere liceat, doctissimum Scriptorem crimen quasi impingentem Cl. Altmanno (§. XII.) ex eo, quod stellam converterit cœlestem in exiguam facem, quæ licet modica, & non longe a Magis distans, nihilominus vere lucebat, atque revera existebat in mundo corporeo, non tantum in mundo ideali; cum e contrario Elsneri sententia virum doctissimum non moveat, in qua, non tantum minuitur stellæ magnitudo, sed tollitur omnino existentia realis, ut solummodo ei tribuatur subsistentia phantastica. Nec minus mirum videri debet, quod subjungit doctissimus defensor, *quis Magos Astronomiæ peritos ad modicam quandam lucem obstupuisse & mox ad tantum iter surrexisse credat?* (pag. 80. §. XII.) Ad viros Astronomiæ peritos commovendos non requiritur profecto ingens lumen; sed si exiguum etiam lumen conspiciunt in loco insolito, vel sub forma extraordinaria, vel tempore non ordinario, illud est quo moventur: Nec nova stella in cœlo detecta tantum incutiet stuporem, ac ignis, licet exiguus, in parte atmospheræ inferioris, & quadam forma vestitus. Cum autem fax illa supra terræ superficiem luceret, & forsan primo apparitionis momento fixa & immota, non vero discurrens, pro igne fatuo eam habere nequiverunt: Denique
 quan-

quanquam nihil primo intuitu in ostento fuisset admiratione dignum, revelatio divina superveniens ad iter suscipiendum eos determinasset, ex qua revelatione eos *ad tantum iter suscipiendum surrexisse* credimus. Ita jam rem definiverat Altmanus, exquisitæ eruditionis Vir, in Commentario ad Matthæum, sapienter nihil determinans circa modum revelationis, de quo varie varii Auctores dixerunt; sed omnia incerta; an per Angelum, ut COCCEIO placuit, an per somnium, ut aliis, indefinitum relinquit, & relinquendum censemus, rejecta tantum eorum opinione, qui nulla Dei revelatione advocata, rem repetunt ex oraculo Bileami, vel Zoroastris, ut THOMAS HYDE, vel ex Astrologiæ principiis, a qua sententia non est alienus H. DODWELLUS, vel ex relatu Synagogæ magnæ, ut HERMANNO HARDTIO placuisse perhibet J. H. ELSWICHUS, qui similia collegit in disertatione de hoc argumento.

XIV.

Ut autem *salebrosam* atque *hiulcam* Cl. Altmanni totam repræsentet argumentationem Elsneri Defensor, ejus rationes alio deducit, contra nexum ab ipso Auctore intentum (§. XVI.). Altmanni quippe mens, atque animus, ab articulo decimo tertio suæ disertationis fuit inquirere, quæ fortassis fuerit ratio cur Deo placuerit hos viros præ aliis ad cœleste hoc spectaculum deducere, & dato divinitus signo, advocare: Has autem affert; putat enim Persarum Magos veterum revelationum reliquias sancte conservasse, saniolem ideo cultum habuisse, atque ita Dei imagines averfatos esse, nec non traditionem columnæ nubis & ignis

a Judæis accepisse, fovisseque, & ideo eos præferri curasse ante exercitus ignem: Atqui cum Magi veritatis ideam, licet obscuram, haberent atque colerent, Deus eos ulteriore revelatione illustravit, placuitque optimo Numini majorem uberioremque cognitionem, eamque salutarem, communicare quærentibus veritatem. Hæc autem omnia non protulit Cel. Altmannus, ut suam præcise demonstraret sententiam de face natalitia Regis cœlestis præfagiente, verum ut aliqua ratione neutiquam inutili illustraret, quibus potissimum rationibus Deus præ aliis ita se communicare Magis dignatus sit: En igitur Altmanni Verborum nexum, minime quidem salebrosum.

XV.

Hæc, quæ jam ad Disertationem Apologeticam notavimus, candido Lectori satis ostendunt, quam levi & ruinoso fundamento nitatur Peyreri-ana de stella solis justitiæ prænuntia opinio, quam Vir summe venerandus Jac. Elsnerus, a toto recte sentientium Theologorum agmine dudum repudi-
 atam, ex tenebris eruere, & novo habitu orbi li-
 terato sistere, non dubitavit; longo nunc de his
 sermone opus non est, nec certe Altmanni causa
 defensore opus habet: Legat qui vult utramque
 disertationem, & videbit statim, Elsneri talem
 esse, ut omnino in ea occurrant plurima, quæ
 Deo, quæ sanctissimæ nostræ fidei non ex omni
 parte conveniunt, & quæ legenti primo momen-
 to scrupulum movent; Legat cui lubicum est Alt-
 manni disertationem, judicetque ἀπροσωπολήτως,
 & videbit quæ explanatio planior, Deoque dig-
 nior sit; an Altmanni, an Elsneri, fermento Pey-
 reri-

reriano incrustata? Ego quidem fateor, Altman-
 num in sua Disfertatione plurima attulisse, non
 tantum nova, sed quæ ad intelligendam histori-
 am nativitatæ Domini nostri novam, illamque
 splendidissimam, lucem afferunt. Nolo jam pro-
 lixius Disfertationem Apologeticam excutere, ne
 in longius succrescant istæ observationes, imo
 plura, quæ notari potuissent sicco pede transivi-
 mus; quia ejusmodi scripta eristica, præsertim si
 longiora sint, Lectoribus fastidium, nauseamque
 creant: Heic ideo jam consisterem nisi placuisset
 Scriptori Apologetico partem ultimam Disfertatio-
 nis Altmannianæ ad crisin revocare, atque non
 sine acrimonia ea carpere, quæ reprehensione di-
 gna non sunt. En verba, quæ citat pag. 87., in
 quibus Cel. Altmannus rationem reddit, quare
 Judæi, & tota Civitas Hierosolymitana, cum
 audivissent natum esse Messiam, attoniti atque va-
 riis motibus perculsi fuerint. Verba extant Musei
 Helv. Tom. III. pag. 71. *Turbata erat, & anxia
 civitas, audiens natum esse Regem Judæorum, gaudi-
 um cum mœrore miscens, quia gens jam calamitatibus
 pressa, præsentem ferre miseriam malebat, quam novas
 mutationes, subire cum Messias, ex sensu eorum, Reg-
 num Romanis & Herodi sine bello & multa sanguinis
 profusione eripere posse non videretur. Adde & hoc,
 quod Herodes, vir potens & crudelis, qui magna va-
 lebat apud Romanos gratia, jam magnam Judæorum
 partem sibi habuerit ita addictam, qui ægre tulissent
 mutari præsentem rerum statum, qui in melius non nisi
 cum maximo discrimine mutari potuisset, & quæ erat
 spes Regem in abjecto, & contemptibili loco, ut erat
 vicus Bethlehemiticus, natum, in melius mutaturum
 fortunam Judæorum. Atque secundum ineptam hanc*

☩

& plane carnalem, quod non aliter quam Judæorum
 opibus nixus novus Rex Solium Regium adversus Hero-
 dem & Romanos defensurus esset. Pharisei vero &
 Scribæ adventum justissimi & sapientissimi Regis haud
 dubie valde pertimescebant, timentes ne pietatis & san-
 ctitatis larvam, qua hæcenus urbem & totam regio-
 nem deceperant, a facie avelleret, & magna Judæorum
 Hierosolymis habitantium copia de nativitate Messia
 haud parum est sollicita, ne adveniente Messia Judæi
 ex omnibus mundi partibus concurrentes habitationis lo-
 cum, & incommodum, & molestum incolis & civibus
 Hierosolymitanis efficerent. En verba Altmanni, quæ
 sine dubio, & pro omnium judicio, qui attente
 hæc legent, ita vera sunt, ut verissima, nec
 non sapienter & acute observata, ut melius status
 gentis Judaicæ eo tempore viventis exponi, &
 ratio, quare Cives Hierosolymitani ob nativitatem
 Regis Judæorum fuerint perturbati, tradi nequeat:
 Hæc autem Scriptori Apologetico displicuisse tes-
 tantur hæc verba pag. 87. *Plura hic proferuntur,*
quæ non satis exactam horum temporum & Judæorum
indolis notitiam arguunt. Judicet autem bonus Le-
 ctor, an in illis Altmannus ne minimam quidem
 causam dederit, ut argui possit inscitiae, & igno-
 rantiae circumstantiarum illius temporis, vel genii
 populi Judaici, tempore nativitatis Christi viven-
 tis. Heic certe optarem Apologiæ Scriptorem
 acerbum in Cl. Altmannum animum hac crisi
 non prodidisse: Sed ridentur Censores, qui ea
 arrodunt, quæ culpari nullo jure possunt. Mihi
 potius ingeniosus heic visus est Altmannus; nec
 aliter verba Matthæi explicuit quam DE BEAU-
 SOBRE in notis posthumis in h. l. Tom. I. pag.
 9. 10. Rationes equidem descriptionemque Alc-

manni rejicit Censor, nullam vero aliam substituit; tentare debuisset aliqualem illorum temporum delineationem nobis exhibere, quam cum monumentis conferre potuiffemus. Illud etiam observandum est, quod quando de homine privo, & multo magis de populo integro, mentio est, cum de eorum dispositionibus judicium est ferendum, res sub multiplici atque varia facie considerari possit; haud ideo mirum est, si qui idem illud objectum diversimode observant atque describunt, varia loquantur, nec tamen sibi invicem repugnent. Plura jam addere ad Dissertationem Apologeticam nolo, licet adhuc plura essent quæ omnino & jure critico notari potuissent; ne autem Lectori fastidium suscitemus, hæc pauca dixisse sufficiet; Ex illis autem liberum erit bono & æquo Lectori videre, quæ sententia potiora secum ferat non probabilitatis tantum, sed veritatis perspicuæ pondera atque testimonia. Ego saltem utramque sententiam inspiciens, & æqua lance ponderans sine omni partium studio partibus Altmannianis assensum denegare non potui.

T A N T U M.

NOVA